

DISPUTATIO JURIDICA  
*De*  
JURE SEQUE-  
STRATIONIS: Ex L. Un. C.

de prohib. Sequest. pec. & c. i. & 2. Extr. de Se-  
questrat. poss. & fruct. cum similibus  
ibiq; notatis desumpta,,

Quam Divini Numinis auxiliante gratia, ex de-  
creto & autoritate amplissimi Fctorum Collegij in Ele-  
ctorali Wittebergensi Academia

SUB PRÆSIDIO

Clarissimi & Consultissimi Viri

Dn. MATTHIÆ GROSII,  
Philosophiæ & J. U. D. Regij Judicij quod est in infe-  
riori Lusatia, & prædicti Collegij Assessoris &c.

Pro gradu Doctoratus in utraq. Jure Consequendo,  
propugnandam suscipient

GOTFRIDUS Reuter  
Bitterfeldensis,

&  
BALTHASAR HENCKELIUS  
Jütrebocensis: ambo Saxones,

Ita locati prout nomina sua professi sunt,

In Auditorio Maiori die 9. Junij hor. à 6. matut. & pomerid.

VVITTEBERGÆ, è Typographeo Joh. Richteri.  
ANNO M. DC. XV.

DISPENSATIO IURIDICA  
LIBER EQUITATI  
STRATONIS: EX LIBRIS C.  
D. MATTHEI GROSSE  
GOTTHILDI D. H. S. C.  
BALTHASAR HENCKELIUS  
ANNO MDCXV

IN NOMINE DOMINI  
NOSTRI JESU CHRISTI.

POSITIONES  
DE JURE SEQUESTRATIONIS.

*Subsequentes defendet*

GOTFRIDUS REUTER.

I.

Uandoquidem ea, quæ Cotidiana sunt, & frequenter in foro occurunt, propter utilitatem, pleniūs juxta JC. Paul. & Ulp. sunt attingenda: operæ pretium nos facturos existimamus, si in materia Sequestrationis, quæ Cotidiana est, inq; frequenti usu, ut & res ipsa loquitur, servatur, pro ratione instituti nostri, aliquātō pressius inquiramus.

II.

Et cum potior quidem rerum, sed prior verborum ( quemadmodum ex Plutarch. in Comment. de Iside & Osyride refert Giphanius in præfat. partit. feudal. Rittershusij) Cura esse debeat,

A 2

Scien-

Sciendum, Vocabulū Sequeſtri, cùm apud JCtos,  
tum & apud alios autores, variè accipi.

III.

A nobis hoc loco Sequestrum sive Sequeſtratio, quæ teste Br. Caſtr. Gœdd. & Comm. Dd. in uſu Juris nihil differunt, propriè accipitur; & non simpliciter à Sequendo, ſed juxta responſum JCti Modestini, ab eo dicitur, quòd occurrenti aut quaſi-ſequenti eos, qui Contendunt, res Commit-tatur.

IV.

Definitur Sequeſtratio, quod ſit eius rei, de qua Controversia eſt, à pluribus litigantibus facta depositio.

V.

Sequeſter enim JCto Modestino ille dicitur, apud quem plures eandem rem, de qua Contro-versia eſt, depofuerunt.

VI.

Sequeſtre autem illum, apud quem eiusmo-difit depositio, pro rei Sequeſtratæ quantitate idoneum eſſe debere, cum Br. & Jacobo de Arena afſerimus, modò tam Locuples commode reperiri poſſit: aliàs hæc Circumſtantia arbitrio Judicis, qui Sequeſtrum decrevit, relinquenda erit.

VII.

Hinc facilè liquet, erroneous eorum fen-tentiam, qui Sequeſtrum cum miſſione in posſeſſionem,

777

sionem, itemq; pignoratione & arresto sive saxi-  
mento, à quibus ut nomine, sic & re ipsa multùm  
differt, perperam confundunt.

VIII.

Vulgatam Sequestrationis divisionem, qua in  
Conventionalem & Necessariam dispescitur, ap-  
probamus.

IX.

Conventionalis, quam & Voluntariam Dd;  
nuncupant, ex spontaneo sive mutuo partium con-  
sensu atq; voluntate proficiscitur.

X.

Atq; hæc Sequestrationis species semper & ubiq;  
jure est permissa, adeò quidem, ut & Lex sæpè hor-  
tetur & suadeat, rem litigiosam sequestrò ponere.

XI.

Sed hic per vestigandum venit hoc dubium: An  
ne Conventio valeat, ut pecuniâ certa die non solu-  
tâ, omnia debitoris bona sequestrentur? Idq; cum  
Ferrar. & Gœd. affirmandum censemus.

XII.

Cui & illud affine est: An virtute istius clausulæ,  
quæ cotidiè in Instrumentis adponitur; Quod, si  
non fuerit pro debito satis factum, bona debitoris  
in solutum capi, sequestrari possint, omnia debito-  
ris bona sint sequestrationi subiecta? Affirmanti-  
bus astipulamur.

similiter

A 3

Neces-

XIII.

Necessaria, quæ & judicialis, itemq; à Jacobo de Arena Contentiosa vocatur, Jurisdictionis necessitate interveniente, parte etiam utraq; vel certè alterutram invitat, expeditur.

XIV.

Atq; hinc fit, quod hæc Sequestrationis species non tantum in pecunia, sed & in rebus indifferenter omnibus, tam de jure Civili, quam Canonic, regulariter sit prohibita, ut Contra Joh. Robert. & Jacob. Cuiac. Communis est Dd. Sententia.

XV.

Sunt tamen certi casus, quibus & hæc Iudicialis Sequestratio, ex certis causis, permittitur. Idq; primò contingit, si constet de possessoris sive partis adversæ prodigalitate & malitiosa dilapidatione: Veluti si quis Custodiæ causa ex primo decreto in possessionem missus, fructus dissipet: aut si à Sententia vel Executione appellatum sit, sicq; de populatio fructuum metuatur.

XVI.

Idq; etiam locum habere dicimus in uxoris furiosæ marito, bona dotalia dilapidante, ubi metus subest, fore eum non solvendo, vel dotem consumtum.

XVII.

At quid si mulier quidem Compos mentis, sed minimè

778

minimè industria, adeoq; ad rem domesticam ine-  
pta sit, & maritus itidem parum frugi reperiatur?  
Eo casu dotem ad causam alimentorum seque-  
strari oportere, cum Gail. Concludimus.

### XVIII.

Ille tamen, qui rem sequestrari petit, prodiga-  
litatem possessoris probare, vel de ea notoriè con-  
stare debet: Si enim reus de prodigalitate suspe-  
ctus, vel infamatus tantùm fuerit, Juratoria cau-  
tione se purgabit.

### XIX.

Imò hunc casum Dd. & eò extendunt, ut si pos-  
sessor fructus rei litigiosæ non quidem dilapidet,  
sed in proprios usus convertat, sequestratio per-  
mittatur: nisi fortè tales essent fructus, qui non pos-  
sent servando servari; aut nisi debitor alia haberet  
bona, ex quibus actori in casum victoriæ integrè  
possit satisfieri.

### XX.

Sic & à beneficij possessore, qui illud per trien-  
nium pacificè non possedit, & appellare nequit,  
possessionis Commodum, propter spem senten-  
tiæ secundæ, quæ forrè priorem evertere potest, ad  
idoneum sequestrem transferendum est.

### XXI.

Atq; hoc postremum ad alias quoq; res in simi-  
li causa extendi posse cum Curt. & alijs asserimus.

Alter

**XXII.**

Est & aliis casus, quo judicialis Sequestratio jure permittitur, qui oritur ex necessitate prætoria satisdationis; putà si reus de fuga vel dilapidatione ex certis indicijs suspectus, eam præstare vel nolit vel nequeat.

**XXIII.**

Inter suspicionis autem causas, quas post Menoch. & Sichard. refert Guid. Foianus, anne & hæc sufficiens sit, quando reus immobilia non possidet, à Dd. hic inquiritur? Nos cum Curt. & Coras. stamus à partibus negantium.

**XXIV.**

De eo quoq; Controvertitur, Annè locum habeat rei immobilis contentiose sequestratio, si tempore contractus suspectus fuerit reus? Negantium calculo, modo actor suspectum fuisse reum non ignoraverit, subscribimus.

**XXV.**

Et ad hunc easum referimus quoq; cum Jacobo de Arena & Coras. contra Gœdd. exemplum Coloni, cum Domino super proprietate litigantis.

**XXVI.**

Adhuc alium casum constituit status incertitudo, putà si aliquis ex servitute proclamet in libertatem, & dominus in possessione vel quasi possessione servitutis sit: Eo enim casu peculium, sive bona ser-

na servi, in eum diem, quo status controversia fo-  
piatur, sequestrari oportet.

XXVII.

Atq; hoc propter identitatis rationem ad fi-  
liumf. Monachum, feudarium & alios, de quo-  
rum statu quæstio movetur, cum Guidone Foiano  
extendimus.

XXVIII.

Hisce casibus non immerito adjicitur & ille,  
quando ad evitandum scandalum in beneficij vel  
dignitatis aut personatus causa, sive alia re simili, se-  
questratio conceditur.

XXIX.

Atq; hi sunt illi casus, quibus judicialis seque-  
stratio permittitur, ultra quos nullum alium ad-  
mittimus, nisi forte specialis loci consuetudo, aut  
statutum in quibusdam causis sequestrationem in-  
troducat & concedat.

XXX.

Occa<sup>cione</sup> itaq; præcedentium, non inelegans  
suboritur quæstio. Anne propter rei non compa-  
rentis contumaciam, quæ missioni in possessio-  
nem locum facit, sequestratio, iure fieri possit? Idq;  
ut negemus, manifesta subestratio, nisi forte neces-  
itas & causæ conditio, scandali evitandu<sup>m</sup>  
liud suadeat.

XXXI.

Nec exrra oleas vagabimur, si hic examinem<sup>is</sup>.

B

illud

illud ζῆτημα: Anne propter metum armorum  
rem sequestrare liceat? Sola arma sequestratio-  
nem non facere, contra Dd. comm. cum Gœd.  
asserimus.

XXXII.

Etenim quod fiduciariæ possessionis sive re-  
credentiæ, ut loquuntur, tale quid hodie conceda-  
tur: Illud non ex jure Romano Justinianeo, sed ex  
nova illa Imperij Constitutione, quæ Anno 1555.  
Augustæ promulgata, & Ordinationi Cameræ p. 2.  
t. 21. §. Ob auch in obberührtem Fall &c. inserta  
est, deciditur.

XXXIII.

Neq; tamen prædicta Imperij Constitutio ali-  
ter locum habere potest, quam si possessio justis ex  
causis sit dubia.

XXXIV.

Sic nec propter mariti sævitiam sequestratio-  
ni locus erit: Quia tum uxor cautioni vel curatori,  
apud quem impropre deponi dicitur, commit-  
titur.

XXXV.

Sed & hic oportunè queritur; Liceatne ijs ca-  
sibus, quibus sequestratio jure non permittitur, a-  
lio quodam remedio uti? Quo casu, annotatio-  
ne sive descriptione bonorum, quem uti posse

cum

780

cum gl. Br. Jacob. de Aren. Curt. Coler. & alijs  
existimamus, si honestus servetur modus, nec pa-  
trimonium rei penitus detegatur, neq; eius secreta  
divulgentur.

### XXXVI.

Sed & possessori, ne rem litigiosam distrahat,  
mandari potest, nisi pro istius rei restitutione satis-  
dare maluerit.

### XXXVII.

Porro ad obtainendum judiciale sequestrum,  
& ut justè atq; ritè decretum sit, ante omnia opus  
est, ut judici saltem summarie constet de jure illius,  
qui rem sequestrò poni exigit.

### XXXVIII.

Circa quod requisitum non incongruè in di-  
squisitionem trahitur. An necessariò de jure Acto-  
ris per Instrumentum publicum constare oportet?  
Affirmat quidem Br. Nos tamen cum Bocero  
& alijs negativam tuebimur.

### XXXIX.

Deinde is, in cuius præjudicium sequestratio  
fit, citari debet, nisi forte de fuga suspectus sit, quia  
cum, cum periculum sit in mora, parte absente  
quoq; procedi poterit.

B 2

Deniq;

XL.

Deniq; causa propter quam sequestratio fieri postulatur, judici exponi debet; Cuius probatio alleganti incumbit.

XLI.

Hic non aliena erit indagatio: Possitne Judex ad sequestrum decernendum die feriato progressi? Et si mora periculum allatura sit, affirmamus.

XLII.

Non tamen ab eo, qui sequestrationem petit, juramentum calumniæ exigimus, cum sufficiat, ut causa legitima atq; iusta judici exponatur, expositaq; probetur: Licet in hoc puncto Caroc. & alij, diversum sentiant.

XLIII.

Cæterum omnes, qui intellectum habent, & consentire possunt, sequestrum constituunt, modo jure non prohibeantur.

XLIV.

Prohibentur autem, infantes, furiosi, mente capti, & prodigi, quibus à magistratu bonis fuit interdictum.

XLV.

Sic & pupilli, & minores, absq; tutorum & cùratorum, quos habent, autoritate, sequestrum celebrare

lebrare nequeunt : nisi vel locupletiores facti ,  
vel dolo malo in ea re versati fuerint.

751

### XLVI.

Item filius fam. exceptis ijs rebus, quarum plenum cum usufructu habet dominium : ut & servus, extra peculium, sequestrare nequit.

### XLVII.

Pari modo apud omnes quoq; Sequestrum constitui potest, etiam apud clericum & sacerdotem, itemq; apud servum, filium fam. & pupillum, modo hic sit capax doli; de quo etiam, si forte quid in re ista litigiosa commiserit, tenebitur.

### XLVIII.

Sed quid de judice, Anne & ille sequestris officio fungi possit? Ita quidem lege cautum legimus: Prudentius tamen, monente Tiraquell. faciet, si, ad suspicionem tollendam, se abstineat.

### XLIX.

Deniq; & apud magistratum in publico loco, vel apud officium, & ædem sacram, sequestrum constitui potest.

### L.

Ubi querere lubet : possitne Judex ex officio quem compellere, ut lequestrum recipiat?

B 3

posse

posse ex causa cum Bl. Tiraq. & Curt. concludimus.



*Ad reliquias, quæ sequuntur, positiones, respondebit*

**BALTHASAR HENCKELIUS.**

**L I.**

Jam de rebus, quæ sequestrò poni possunt, vendendum est. In genere igitur rerum omnium, modo factum aliquod tradendi, custodiamq; hominis patiantur, potest fieri sequestrum.

**L II.**

Cuiusmodi traditionis medium custodiamq; cum liceat ad immobilia extendere, non minus eadem sequestrationis vinculo constringi poterunt; sive in judicio singulari sive universalí exigantur: siye sint allodialia, sive feudalia.

**L III.**

Ut & quæ tangi, & sine subiecto custodiri nequeunt, incorporalia.

Nec

LIV

782

Nec hallucinantur, qui eiusdem juris æstimant,  
hominem liberum: Quod tamen non eo trahen-  
dum est, ut in casum non secutæ solutionis debitor  
ipse sequestretur: multò minus, ut cadaveris de-  
functi sepultura prohibeatur.

LV.

Cumq; depositi contractus non ordinetur ad  
rei dominium: sed primariò ad custodiam, & mul-  
ta in litigium, vel propter solum usum deducan-  
tur: æquè Sequestro obnoxia sunt religiosa, hisq;  
similia, atq; profana; ut proinde posito eo, seque-  
strationem illorum fieri posse, quoties in contro-  
versiam publici usus causa vocantur, illud necessa-  
riò evincatur, eadem ab hoc pñcto juris exempta  
non esse.

LVI.

Inter hæc moveri posset & illa quæstio; si Mæ-  
vius mobile grappiam possideat, transiturus cum  
eo huc vel illuc, an proprietatis dominus id cognos-  
scens, loci judicem competentem rogare possit, ut  
is rem eiusmodi sequestrari faciat, nisi possessor de  
exhibendo satisdet? Vulgo quidem id fieri vide-  
mus, & praxin hanc in æquitate fundari arbitra-  
mur: Si tamen ad rationem stricti Juris res exiga-  
tur, contrarium defendi posset.

Illud

**LVII.**

Illud in facili coniectura est, quod cum Judicialis Sequestrationis maxima vis in manu militari, sive executione, consistat; certa circumspectio-  
ne opus sit, ne quid præpostere vel cito citius aga-  
tur: Quòd facit, quod cùm aliàs magnis, multisq;  
præsumptionibus magistratum acta innitantur, &  
adiuentur; hic ne is quidem, qui justiciæ supre-  
num asylum habet, Princeps Imperij, juris ali-  
quam præsumptionem de sese spargere poterit, si  
alicuius bona Sequestri nexibus implicanda de-  
cernat. Imò agitur contra eum, tanquam infe-  
rioris subselliū judicem, ad restitutionem.

**LVIII.**

Ad quod restitutio nis beneficium dum con-  
fugiendum est, sequitur, si a' facto, id est, per inju-  
riam, rem litigiosam, sive ab altero, sive ab utroq;  
litigantium, in sequestrem transferri velit Judex,  
non vim vi repellendam, sed per viam iuris proce-  
dendum esse.

**LIX.**

Cæterū omnibus ritè se habentibus, utrum  
rei depositæ possessio in sequestrem transeat, con-  
troversia est, cuius decisio non ita in proclivi. O-  
pinio sanè communis distinguit, inter voluntari-  
am &

am & necessariam, ut in hac reservetur victori, in  
illa sequestri concedatur.

783

L X.

Nos potius ipsam mentem litigantium inspi-  
ciamus, in quorum, & non judicis, arbitrio est, pos-  
sessione se exuere, eamq; ad alium transferre.

L XI.

Si ergo hoc actum fuit, ut sequester possideat,  
dixeris, penes quem est commodum possessionis,  
penes eum fore quoq; jus percipiendorum fru-  
ctuum. Videtur utiq; paradoxum, alicui posses-  
sionem tribuere, & alij qui neq; civiliter, neq; na-  
turaliter possideat, fructus vel reservare, vel adju-  
dicare! Digna res consideratione. Interim Flo-  
rentinus afferit, id agi in hoc casu, ut neutrius pos-  
sessioni id tempus procedat.

L XII.

In quibus verbis, si superficiem spectes, non  
habebit sequester utiles actiones;

L XIII.

Vel remedium, clericis & laicis commune, ex  
Canone redintegrard. 3. q. i. Vel interdictum (pos-  
sessionem collatam hic subintelligimus) Utipossi-  
detis: Secus si mentem. Quod posterius dum à

C

nobis

nobis omnino recipiendum est, habebit omnia ea  
sequester, quæ diximus.

LXIV.

Unde non trivialis elicitur dubitatio, Quid-  
nam, quando rei immobilis possessionem uterque  
Litigantium sibi asserunt, tutius, & rationi Juris  
convenientius sit; An juxta naturam superioris in-  
terdicti, sub latisdatione unum ex illis possessorem  
interim constituere; An vero Sequestrationis re-  
medium adhibere? Posterius affirmamus.

LXV.

Alias in genere ad officium sequestris perti-  
net, eandem, quam in suis rebus agitat prudenti-  
am, rei etiam sequestratæ impendere, fructusq; o-  
mnes ad litis usq; exitum fideliter reponere.

LXVI.

Nimirum cum nec depositarius conveniri  
queat ultra eam, quam rem propriam admini-  
strando circumfert, curam; tam falsum quam in-  
humanum est, ad eadem obligatum esse seque-  
strem, quæ bonus vir faceret in re aliena custodi-  
enda.

LXVII.

Quippe in æstimandis hujus obligationis vi-  
ribus

ribus nullo modo ad arbitrium boni viri; Sed simpliciter ad naturam contractus, ingeniumq; illius, cuius fidem secuti sumus, respicimus.

### LXVIII.

Contra, quando arbitrium boni viri eligimus, exactissimam rei gerendæ vel administrandæ ponimus industriam; Et sic inter bonum virum Juris, & bonum virum Ethicè consideratum, distingui videmus: An non quando tale arbitrium advocamus, fructus etiam percipiendos censuræ submittimus? putamus: De quibus tamen teneri sequestrem nemo unquam judicavit.

### LXIX.

Ex natura igitur negotij nihil aliud præstat, præterquam dolum, cum præteritum, tum futurum, & latam culpam. Cujus exemplum sit, de fructibus perceptis, & qui servando servari non poterant, Inventarium non fecisse.

### LXX.

Quid si dicat, rem incendio extictam, vel furto ablatam? Sub hypothesi, quod utrumque hoc infortunium, non ex casu fortuito, sed culpa levi oriatur, teneri quidam putarunt: Nos sub eadem negamus.

C 2

Agen-

LXXI.

Agendum scilicet quantum possibile est, ut ex humanitatis officio indemnis quisque servetur. Quod cum ultronea benè merendi promptitudo sæpè suspectum reddat, culpam levissimam præstat, qui se rei controversæ obtulit.

LXXII.

Ex quibus hoc notabile educimus, ut præstentur culpa levis aut levissima, aut hisce maius fatum, ea non in jure, sed in facto consistere; Et mutatam obligationis causam præsupponere.

LXXIII.

De facto igitur, si se ad fatum sive casum fortuitum obligavit sequester, tenebitur etiam de insolito.

LXXIV.

Quale obligationis vinculum, licet omnium maximum sit, custodiā tamen in administratiōnem transmutare nequit: Quâ dum destituitur sequester, nihil est, quod alienare possit vel debeat, præterquam, si quid servando ( sive sit fructus, sive res ipsa ) deteriō fieret: Vel diuturnior eius custodia ( sic vulgariter addunt ) ipsi tanquam bono patriam displiceret.

Vidi-

## LXXV.

Vidimus hactenus, quam anxij sint Interpp. in possessionis causa: Maius quipiam & dignius quæstionis pretium est, An castro, vel territorio in sequestrem translato, jurisdictionis etiam exercitia ad ipsum transmissa pariter intelligantur.

## LXXVI.

Quod qui affirmant, haud gravatim nobis edifferant, num habeat Jurisdictionem mandatam aut propriam. A nobis stat infallibilis Juris providentia; Quod uti hodie Jure Magistratus cum ipso Magistratu Jurisdictione coniuncta intelligitur; Ita neminem in dubio translationem Jurisdictionis presumere; vel factum aliquem, per nudam comitatus detentionem, Comitem: quicquid etiam illud sit, ex ordinatione Camerae Imperialis, sequestrem durante processu actus Jurisdictionis exercere posse.

## LXXVII.

Illud omnino specialis favor extorsit, ut is apud quem facta est Ecclesiæ vel Juris patronatus, aut beneficij cui tale jus cohæret, sequestratio, possit vacante Sacerdotio, præsentare & conferre.

## LXXVIII.

De eo vix aliqua est dubitatio, ad officium

C 3

huius

hujus pertinere, ut lice pendente sumtus, ad prosequendam justitiam, & necessaria alimenta, ex fructibus rei sequestratæ, indigo porrigat, ut sic paupertatis novum aliquod extet solatum.

LXXIX.

Tutius utique & prudentius sequester egerit, si vel consensum adversæ partis, vel autoritatem judicis ad hoc elici exigat. Ad quod posterius, si urgeatur angustus rei familiaris possessor, non videamus, quid prætendere, & quomodo causæ cognitionem à se avertere firmiter possit.

XX C.

Facta verò in casibus permisis sequestratio, idonea satisdatione tollitur: modo removeatur causa sequestrationis factæ, & æquè benè consultum sit adversario; Ut verbi gratia: Si dilapidationis periculum timeatur,

XX CI.

Etenim fidejussoribus incumbens dilapidationis vel prodigalitatis incommodum, jam cassavit. Quod cum fieri nequeat, si Ecclesiam vel beneficium sequester teneat, nihil hic laxamenti conciliat satisdatio.

XXCII.

Quæstio autem est anceps & dubia: An reus, qui

qui fidejussoribus vel pignoribus cavere non potest, juratoriæ cautioni sit committendus? Et in hac quidem communiter Dd. inter virum frugi & probatæ fidei, interq; hominem levem & suspectum distinguunt, illum audiendum, hunc repellendum existimantes: Nos tamen de rigore juris nunquam cautioni juratoriæ locum esse arbitramur.

### XXCIII.

Novum aliquod de Peckio fingit Heringius, quasi is statuat, ad sistendam sequestrationem sufficere solam cautionem de iudicio fisti: Sed præterquam, quod in illo loco de arresto agit, idem ferè eadem pag. docet, injuriarum teneri, qui præstata idonea cautione non relaxet debitorem; cum & sequestratio & missio in possessionem bonorum per eiusmodi satisfactionem tollatur.

### XXCIV.

Lite perfecta & in condemnationem deduceta, finiri sequestrum; aut diei vel conditionis existentia; Morte itidem sequestris, propter eleam personæ industriam, extra dubium est: Non vero; si per appellationem sententia suspendatur.

### XXCV.

Ubi illius erit, rem bona fide restituere, & quæ vel ex conventionis, vel rei judicatæ autoritate præstanta veniunt, facere.

Quod

**XXCVI.**

Quod ultimum est, ex hoc sequestrationis negotio multiplex nascitur actio. Frequentissima videtur, quæ in specie sequestraria dicitur, tam directa quam contraria; Utramq; bonæ fidei & transmissibilem ad hæredes esse afferimus.

**XXCVII.**

Poteruntq; intentari, quæcunq; sequestri species in judicium deducatur.

**XXCVIII.**

Datur autem directa omnibus & singulis, quando vel mutuo consensu aut pacto præcedente placuit, huic aut illi rem restitui debere. In primis vero, si quis, ut sibi soli restituatur, in judicio obtinuit.

**XXCIX.**

Utilis tum competit, si iudex in ipsa depositione rei paciscendo vel legem dicendo prospexterit, ut alteri ex contendentibus restitueretur: Velut sibi restituatur; ipse autem actionem depositi cesserit parti, cui restitutionem fieri oporteat.

**XC.**

Negotiorum gestorum utilis tunc moveri poterit, quando iudex simpliciter rem controversam apud

bouQ

apud sequestrem depositum, nec quicquam adiecerit, cuinam post litis eventum restitui debeat,

**XCI.**

Recedimus igitur cum Bocero ab illorum sententia, qui officio judicis nobili revocandam esse tali casu sequestrationem existimant: Simulq; cum eodem illud rejicimus, quod omni casu, quo Jūdex ad sequestrum processit, victori sequestraria actio decernenda veniat.

**XCII.**

Nec minus illud; Quando directa, & in specie sequestraria competit, posse eandem concurrere cum judicio incerto, sive præscriptis verbis, aut de dolo malo actione.

**XCIII.**

Ad rem pertinet, si inter conventionis placita & illud extiterit, ut certo loco sequester exhiberet, nec ibi exhibeat, eum teneri: Quod si de pluribus locis convenit, in arbitrio eius esse, quo loci exhibeat: Si nihil convenit, denunciandum ei, ut apud prætorem exhibeat; Ait totidem ferè verbis Ulp.

**XCIV.**

Repugnare his videtur Pomponius, dum inquit, nihil interesse, ubi depositum sive sequestrum sit. Quod sic intelligimus; si rem sequestro posuisti Parisijs, & sequester domicilium cum re

D trans-

transferat Lugdunum, iniuum esse, ut restituat  
Parisijs. Videntur inquam contraria; meo arbitrio  
relinqui, ubi & quo loco sequestrum sit, ibi illud  
restituere; Et mihi denunciari posse, ut apud acta  
illud exhibeatur.

XCV.

Similis quædam difficultas est & in hoc; si apud  
duos sit sequestrata res, adversus unumquemque  
eorum agi poterit; nec liberabitur alter, si cum al-  
tero agatur, juxta Ulp. Quomodo igitur intelli-  
gendum est, quod ait Javolenus, ex duobus reis de-  
bendi, petitione vel acceptilatione unius, alterum  
ipso jure liberari? Ex diversitate obligationis in  
promptu est responsio.

XCVI.

In casu sequestrationis necessariæ, si restitutio  
detrectetur, cessetq; personalis actio, confugien-  
dum vel ad petitorium rei vindicationis, aut publi-  
cianæ; vel possessorium, retinendæ, aut recuperan-  
dæ possessionis.

XCVII.

Jam si restituere jussus non obtemperat & e-  
normem hanc moram subsequitur rei interitus,  
judex in aestimatione animadvertet, num seque-  
strum transferit in bonæ fidei obligationem, num  
verò stricti juris; ut posteriori casu attendat tempus  
litis

-2111-

788.

litis contestatæ; priori rei judicatæ, sive quo res,  
post litis contestationem, quam plurimi fuit.

XCVIII.

Contraria actio datur sequestri ad repetenda  
impendia, quæ occasione huius negotij fecit; refar-  
ciendaq; damna, quæ forsan obtigerunt: non et-  
iam ad obtainendum constitutum salarium; cum  
extraordinaria persecutione id exigere possit.

XCIX.

Multò vero certius existimamus, & æquo et-  
iam similius, retentionis uti beneficio sequestrem,  
quam, post restitutionem, a cipiti quæstionis exi-  
tu distrahi: maximè cum retinere possit unusquis-  
que, licet non possideat eo possessionis genere  
quod proprium est interdictorum. Id quod acu-  
tè observasse Anton. Fabr. ait, dignus tali magistro  
discipulus Schifordegħ.

C.

Conclusio in hac materia vulgaris est: pro-  
pter noviter emergentia sequestrem ab officio suo  
liberari non posse, nisi dictam actionem intenta-  
verit. Quod quo grano salis indigeat, expræce-  
dentibus perspicuè constat.

F I N I S.

1177  
littere consueitate, huiusmodi litterae, sicut dicitur  
potest littera consuetudine, duplam plurimum habere.

### XCVIII

Constituta ergo sunt litterae ad litteras  
imperata, ut socij, prius nomen litterarum  
censendat, quoniam, das foliis ordinatis: non er-  
unt saepe openatus confundit latsum: cum  
extensio littera excedere loget.

### XCIK

Multo vero certum existimat, quod adnotet  
istam litteram, et ratione penitus ledicentem  
dum quod legimus, subiecta duplicitate  
in significando, maxime cum litteris postea numeris  
duo, nec non postea et eo potest litteris bene  
dum propinquum est litteris, ut duplo ac  
duplex littera sit, diligenter et sagittario  
liberatur et libidinosus.

### C

Conjugio in litteris varijs est: pro-  
pria leviter et leviter, sed amissione  
litteris non posse, ut diligenter et ratione intercess-  
tare. Quod duo etiam litteris significare, expresse  
demonstrans per litteras constitutam.

E I N I S

Wittenberg. Diss., 1613/23


ULB Halle  
002 673 304

3




V8 17





**Farbkarte #13**



5 47  
1615 775  
112

DISPUTATIO JURIDICA  
*De*  
**JURE SEQUE,  
STRATIONIS: Ex L. Un. C.**

de prohib. Sequest. pec. &c. i. & 2. Extr. de Se-  
questrat. poss. & fruct. cum similibus  
ibiq; notatis desumpta,

*Quam Divini Numinis auxiliante gratia, ex de-  
creto & autoritate amplissimi Fctorum Collegij in Ele-  
ctorali Wittebergensi Academia*

SUB PRÆSIDIO  
Clarissimi & Consultissimi Viri  
**Dn. MATTHIAE GROSII,**  
Philosophiae & J. U. D. Regij Judicij quod est in infe-  
riori Lusatia, & prædicti Collegij Assessoris &c.  
*Pro gradu Doctoratus in utroq. Jure Consequendo,  
propugnandam suscipient*

**GOTFRIDUS Reuter**  
Bitterfeldensis,  
&  
**BALTHASAR HENCKELIUS**  
Jütrebocensis: ambo Saxones,  
Ita locati prout nomina sua professi sunt,  
*In Auditorio Maiori die 9. Junij hor. à 6. matut. & pomerid.*

**WITTEBERGÆ, è Typographeo Joh. Richteri.**  
ANNO M. DC. XV.